

Romani Pontifices exulare cogentur, propter vexationes, dissidia, publicasque Italiae perturbationes; neque hanc unquam proposuerunt tot haeretici et schismatici quos Romanus Pontifex damnaverat. Undenam ergo ortum duxerit tam constans, tam universalis amicorum et inimicorum persuasio de nexu inter Primatum et Romanam Sedem indissolubili, nisi ex persuasione talem nexum esse divinitus statutum?

3<sup>o</sup> Affertur etiam damnatio sequentis propositionis 35<sup>ae</sup>, a Pio IX, in Encycl. *Quanta cura*: « Nihil vetat alicujus concilii generalis sententia aut universorum alicujus populorum facto, summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe, ad alium episcopum aliamque civitatem transferri. » Cujus propositionis in sensu obvio sumptae damnatio probat nullam auctoritatem, nequidem concilii generalis, posse summum Pontificatum ab episcopatu Romano dissociare. Ergo obstat jus divinum. At, nonnulli theologi observant hac damnatione non certo dirimi controversiam. Etenim certum non est nomine concilii generalis, in dicta propositione, venire concilium a Papa confirmatum. Propositio quippe desumitur ex libris Nuytzii, qui renovat errores Febroniariorum et Jansenistarum. Febronius vero et Jansenistae, disserentes de auctoritate conciliorum generalium, passim loquuntur de conciliis sejunctim a Papa consideratis. Quidquid sit, aliae probationes sufficiunt.

Quaerenti autem quid fieret, si Urbs Roma destrueretur, aut totaliter ab Infidelibus occuparetur, respondendum est, vel id Deum nunquam permissurum esse; vel, si permetteret, Papam nihilominus servaturum esse titulum episcopi Romani.

## DISSERTATIO SEXTA

DE VI ET EXTENSIONE AUCTORITATIS ROMANI PONTIFICIS  
IN ORDINE AD UNIVERSUM ECCLESIAE CORPUS

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 948... 977. —  
Bouix : *de Papa*, pars 5. t. 3. p. 309... 330.)

394. Ut vis et extensio papalis auctoritatis bene introspectatur, primum explanandae sunt breviter ejus praecipuae dotes; dein, exponenda varia Romani Pontificis jura, tum circa personas, tum circa res ecclesiasticas spirituales et temporales, tum circa judicia ecclesiastica. Ex quibus concludendum erit, Papam esse verum monarcham, centrumque catholicae unitatis: quae omnia octo quaestionibus absolventur.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

**Utrum Romani Pontificis auctoritas in universam Ecclesiam, dicenda sit episcopalis, ordinaria atque immediata?**

395. **Resp.** Illos omittimus qui, negantes Primatum juris divini, contendunt Romanum Pontificem non habere nisi auctoritatem ab Ecclesia delegatam et ministerialem; jam enim superius confutati sunt. Sed nonnulli, concedentes Papam a Christo immediate suam accipere jurisdictionem, addunt hanc non esse episcopalem, ordinariam ac immediatam, nisi in dioecesi Romana. Sicut enim Metropolitanus fidelium qui in sua provincia degunt, sed extra suam dioecesim, non est vere episcopus, nec ideo superior ordinarius

ac immediatus; ita dicendum de Romano Pontifice, quoad eos qui versantur extra Romanam dioecesim. Habet quidem Papa jus inspectionis super episcopos, quos monere, et, si opus sit, corrigere debet ut munus suum rite impleant; at eorum subditos per se regere non potest; nec, invitis episcopis, in eorum dioecesibus functiones episcopales legitime exercere. Excipitur tantum casus necessitatis, quando ex negligentia aut impotentia pastorum, aliud remedium non suppetet. Ita post Tamburinum nonnulli Gallicani.

**396. Contra quos, dico :** *Auctoritas Romani Pontificis in universam Ecclesiam est episcopalis, ordinaria ac immediata.*

Id est : universalis Ecclesia est ad instar dioeceseos propriae Romani Pontificis, qui eam proprio nomine et immediate regit, sicut singuli episcopi suum gregem. At id non obstat quin Papa caeteris episcopis quotidianam suorum gregum curam relinquat, eo modo quo episcopi singuli relinquunt aliis rectoribus curam parochiarum.

Prob. 1<sup>o</sup> *definitionibus Ecclesiae.*

Conc. enim Lugd. II tribuit Papae *summum ac plenum principatum super universam Ecclesiam.*

— Conc. Florentinum eidem adscribit *plenam potestatem gubernandi universam Ecclesiam.* — Praesertim vero conc. Vatic. (Sess. IV, c. 3) sic se habet :  
« Docemus et declaramus Ecclesiam Romanam, dis-  
« ponente Domino, super omnes alias *ordinariae*  
« potestatis obtinere principatum; et hanc Romani  
« Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere *epi-*  
« *scopalis* est, *immediatam* esse; erga quam cujusque  
« ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seor-

« sim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae  
« subordinationis veraeque obedientiae obstringun-  
« tur... Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem  
« habere tantum officium inspectionis vel directionis,  
« non autem plenam et supremam potestatem juris-  
« dictionis in universam Ecclesiam,... aut hanc ejus  
« potestatem non esse *ordinariam* et *immediatam*,  
« sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes  
« et singulos pastores et fideles; anathema sit. »

Prob. 2<sup>o</sup> *ex verbis Christi.*

Christus enim dicens Petro : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ipsi eadem prorsus ratione committit curam omnium Christianorum, qua singulis episcopis cura proprii gregis committitur. Porro haec cura episcopis commissa est jurisdictio ordinaria ac immediata.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex traditione scripta.*

Inter titulos qui in vetustissimis monumentis Romano Pontifici decernuntur, multi luculenter hanc episcopalem et immediatam jurisdictionem exprimunt, nempe : *episcopus episcoporum, pastor pastorum, Caput capitem, Pontifex universalis, episcopus universalis.*

Prob. 4<sup>o</sup> *Romanorum Pontificum praxi.*

Illi enim constanter se gesserunt tanquam universae Ecclesiae pastores ordinarios, et consueverunt, etiam per se, omnes fideles regere, v. g. legibus pastores et fideles simul obligantibus; idque fecerunt, Ecclesia non reclamante, sed bene annuente. Atqui impossibile est Romanos Pontifices sibi constanter, annuente Ecclesia, usurpasse jus indebitum. Ergo.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quanta sit in genere papalis auctoritatis extensio?

397. Resp. Plures, cum Febronio, distinxerunt inter jura Primatus *essentialia* et *accidentalialia*. Prioris generis ea dicuntur, quae Papae jure divino competunt, utpote essentiali nexu cum Primatu conjuncta; posterioris generis, seu, *adventitia*, cum ipso Primatu non essentialiter conjuncta, ipsi tamen Papae ex humano jure accesserunt, praesertim a tempore falsarum Decretalium, sive ex libero ecclesiarum consensu prodierint, sive etiam fuerint injuste usurpata.

In discernendis autem praedictis juribus, ii auctores inter se non concordant. Communiter tamen docent jura *essentialia* ea esse, quae Romani Pontifices in sex aut septem prioribus saeculis exercuerunt, uti v. g. jus supremæ inspectionis, jus convocandi concilia iisque praesidendi, jus vindicandi canonum observantiam, etc., etc.; alia vero quae ab iisdem auctoribus existimantur non nisi saeculis posterioribus exercita, traduntur tanquam *accidentalialia*; v. g. jus confirmandi episcopos, Sanctos canonizandi, appellationes recipiendi, concedendi dispensationes, instituendi festa, casus reservandi. Addunt necessarium esse ut, tandem ablatis hisce juribus accidentalibus, quae novam et noxiam induxerunt disciplinam, ad veterem solamque legitimam redeat Ecclesia.

398. Contra quos, dico 1<sup>o</sup>: *Romani Pontificis auctoritas se extendit, jure divino, ad ea omnia quae sunt de foro Ecclesiae.*

Prob. 1<sup>o</sup> definitionibus conciliorum.

Ex conc. Lugd. II, ut vidimus, Papa habet, jure divino, « summum ac plenum principatum super universam Ecclesiam »; ex Flor. « plenam potestatem « gubernandi universam Ecclesiam ». Porro, si auctoritas papalis se non extenderet ad ea omnia quae sunt de foro Ecclesiae, non esset summus ac plenus principatus, nec plena potestas gubernandi universam Ecclesiam.

Conc. Vatic. (sess. IV, cap. 3) definit: « si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantum officium « inspectionis vel directionis, non autem plenam et « supremam potestatem jurisdictionis in universam « Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et « mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; « aut eum habere tantum potiores partes, non vero « totam plenitudinem hujus supremæ potestatis...; anathema sit. » Porro res quae pertinent ad fidem, ad mores, ad disciplinam et regimen Ecclesiae, complectuntur ea omnia quae de foro Ecclesiae sunt; neque Papa jure diceretur habere totam plenitudinem potestatis, si vel una ex eis ab ejus foro subtraheretur.

Prob. 2<sup>o</sup> ex verbis Christi de Primatu.

Juxta Christum, Ecclesia tota aedificatur supra Petrum. Sed, si pro certis negotiis jure divino a Petro non pendeat, jam tota super ipsum non aedificatur. — Insuper, verba Christi ad Apostolorum collegium: *quaecumque alligaveritis...* conferunt Ecclesiae docenti ac regenti jus quascumque causas ecclesiasticas pertractandi ac definiendi; at eadem verba Christus ad Petrum singulariter direxit. Ergo contulit Petro

singulariter sumpto quidquid Ecclesiae docenti ac regenti contulerat. — Insuper, haec alia verba : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, nullam includunt limitationem, et significant : imple omnia pastoris ecclesiastici officia et munia.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex agendi et loquendi ratione Romanorum Pontificum.*

Romani Pontifices libere quibuscumque negotiis ecclesiasticis gerendis incumbunt, ita ut nullum citari valeat quod pluries ab uno vel altero non fuerit pertractatum. In iis vero componendis, passim allegant curam totius gregis sibi a Christo demandatam, et Primatus sui indolem : sic, v. g. Pius VI, in Brevi *Super Nuntiaturis*, fidenter affirmat « Primatum « Summi Pontificis... auctoritatem secum ferre stabilem, perpetuam, *numeris omnibus absolutam*, « pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam « populorum ipsos pastores. » Episcopi vero catholici, nedum adversus hanc agendi loquendive rationem reclamant, huic penitus se subjiciunt.

399. Dico 2<sup>o</sup> : *Rejicienda est igitur distinctio Febroniana, inter jura Primatus essentialia et accidentalia.*

Praeterquam enim haec distinctio rationem Primatus evertat, cum, juxta Febronianos, quaedam sint negotia ad forum Ecclesiae pertinentia, quae certis personis inferioribus et non Papae committuntur; exinde etiam repugnat, quod sit 1<sup>o</sup> fundamento destituta, 2<sup>o</sup> ante Febronium inaudita, 3<sup>o</sup> in praxi periculosissima.

*I. Omni fundamento destituitur.*

Hanc Febroniani probare contendunt ex differentia

inter veterem et novam disciplinam. Atqui debile prorsus est tale fundamentum, sive historice sive philosophice consideretur.

1<sup>o</sup> Si consideretur *historice*, nullius est roboris. Nam a) probatu impossibile est dari jura quae Pontifices Romani nunquam exercuerunt, siquidem multa Romanorum Pontificum gesta ignorantur. b) Nonnulla jura quae adversarii tanquam *accidentalibus* habent, uti : confirmandi episcopos, recipiendi appellationes, constat historice jam a primis temporibus viguisse. c) Imo, ea quae reperiuntur in falsis Decretalibus et veluti adventitia traducuntur, vel desumpta fuere ex documentis anterioribus disciplinam veterem exprimentibus, vel exhibent disciplinam quae tunc jam diu obtinuerat; secus, hae Decretales uti authenticae non fuissent habitae.

2<sup>o</sup> Item, si spectetur *philosophice*, ratio Febronianorum non valet. Etenim jus ab ejusdem exercitio sedulo distinguendum est; et ideo, quamvis a certis quibusdam juribus exercendis, ob peculiare circumstantias, Pontifices Romani abstinuissent, haec abstentio jus ipsum minime excludit. Et revera, multa olim aliis pastoribus, ex legitima delegatione, peragenda reliquerunt, eo quod difficiliore sane erant relationes cum remotis mundi partibus; sed illa cessio fuit essentialiter revocabilis.

*II. Eadem distinctio, propter suam novitatem, probatur falsa.*

Quod enim revera dentur jura Primatus alia essentialia et ideo immutabilia, et alia accidentalibus, est certe quid gravissimum, pertinens ad regiminis ecclesiastici constitutionem, proindeque debuit ab

initio nascentis Ecclesiae cognosci ac fideliter tradi. Atqui tamen, ante Febronianorum tempora, prorsus ignota fuit illa distinctio; unde Patres veteres nullis unquam limitibus Papae auctoritatem circumscripserunt, nec episcopi vere catholici aliquando conquesti sunt illum sibi jura indebita usurpare.

*III. Eadem distinctio est in praxi periculosissima.*

Nam, defectu criterii certi et obvii quo jura essentialia ab accidentalibus discerni queant, saepe saepius eveniet, quaedam jura ab aliis haberi ut accidentalibus et ideo amissibilia, et ab aliis ut essentialia; quinimo multi ea quae sibi magis displicent inter adventitia adnumerabunt; sicque auctoritas Papae incerta et ambigua eveniet, cum magno Ecclesiae detrimento.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quae sint praecipua Romani Pontificis jura circa personas?

**400. Resp. Dico 1<sup>o</sup> :** *Romanus Pontifex potest quoscumque Christianos suis decretis doctrinalibus aut disciplinariis obligare.*

Prob. 1<sup>o</sup> Haec decreta sunt evidenter de foro Ecclesiae. Porro quidquid est de foro Ecclesiae, intra Pontificiae auctoritatis ambitum continetur.

2<sup>o</sup> Innumera decreta hujusmodi a sancta Sede prodierunt, et ab universis fidelibus et pastoribus reverenter accepta sunt.

**Colliges :**

a) Papa jure divino habet officium tuendi sacros canones, seu, procurandi legum ecclesiasticarum pro-

mulgationem et observationem; <sup>quibus</sup> providere potest potestas puniendi et censuras ferendi. <sup>audire et ad-</sup>

b) Item, ad Papam spectat librorum <sup>omnia</sup> pravol<sup>utionem</sup> interdicerem.

c) Item, irritare quascumque consuetudines legibus Ecclesiae contrarias, vel ecclesiarum privilegiis derogare : hoc siquidem faciendo, reducit subditos ad jus commune, seu, exercet potestatem legislativam.

**401. Dico 2<sup>o</sup> :** *Romanus Pontifex potest, justa de causa, quoscumque Christianos solvere a vinculo legum ecclesiasticarum, et nonnunquam a vinculo legis divinae.*

Prob. 1<sup>a</sup> pars, seu : quod possit eos solvere a vinculo legum ecclesiasticarum, sive eas abrogando, sive ab eis dispensando. Nam a) talis potestas est evidenter de foro Ecclesiae; ergo de foro Papae. b) Verba Christi ad Petrum : *Quodcumque solveris...* sunt de quocumque vinculo solubili; atqui tale est vinculum legis ecclesiasticae. c) Bonum Ecclesiae quandoque requirit ut ejus leges abrogentur, aut ut nonnulli ab eis dispensentur; qua occurrente necessitate, non est ordinarie possibile recurrere ad concilium oecumenicum, ut patet. Ergo requiritur abrogandi et dispensandi potestas ordinarie exercibilis, quae non est nisi potestas Papalis.

Prob. 2<sup>a</sup> pars, seu : quod Papa nonnunquam possit Christianos solvere a vinculo legis divinae; videlicet : ubi obligatio legis divinae ex actu libero voluntatis humanae oritur, ut in votis, juramentis, et etiam in matrimonio. Papa enim frequenter dispensat in votis et juramentis, et nonnunquam solvit vinculum matrimonii non consummati. Ergo praedictae obligationes